

1845  
C20

17  
39

(75)  
B5

D. D.  
DISSERTATIO  
**FUNDAMENTA  
VALETUDINIS**  
SISTENS,

QUAM,  
CONSENSU EXPERIENTISS. FAC. MEDICÆ  
UPSALIENSIS,  
PRÆSIDE

*VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,*  
**DN. DOCT. CAROLO  
LINNÆO,**

EQUITE AURATO DE STELLA POLARI,  
S:Æ R:Æ M:ITIS ARCHIATRO,  
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.  
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL.  
LONDIN. MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO.  
IN AUDITORIO CAROL. MAJ. DIE XVII. JUNII,  
ANNI MDCCLVI.

*AD PUBLICUM EXAMEN DEFERT*  
**PETRUS ENGSTRÖM,**  
*DALEKARLUS.*

H. A. M. S.

UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

24-1



S:Æ R:Æ M:TIS  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO  
BARONI ac DOMINO,

D:NO **DIDERICO HENN.  
MEJENDORF  
VON YXKULL,**

SUBTRIBUNO Strenuissimo,  
Regii Eniferorum Ordinis EQUITI Splendidissimo,  
MÆCENATI MAGNO.

**I**lla tandem dies illucescit, qua venerabunda mens  
Mæcenati suo leviusculum quoddam munus offerre  
valet. Beneficia, quibus non solum paternam domum,  
sed me etiam cumulasti, *Mæcenas Optime*, tanta sunt,  
ut ex eorum numero non possim non in maximam  
rapi admirationem: hinc tempus faustum & fuit, & e-  
rit, quo de Tuo Patrocinio, plane perbenevolo, mihi  
gratulari licuit. Permittas ergo, humillime oro, ut  
hoc Specimen Academicum illam testetur animi sub-  
missionem, quam publice declarandi antea occasio mihi  
defuit. Etiam si in referenda gratia nihil proferre va-  
leam, pectus tamen debita nunquam carebit observan-  
tia, nec Summum Numen, pro perenni Tua incolu-  
mitate, piis sollicitare suspiriis desistet. Sic, Te salvo  
atque sospite, iniquæ sortis tela haud metuam: sic, Tua  
fultus clientela, bonarum artium studia feliciter, ut  
spero, cedent. Futurus, dum vixero,

PERILLUSTRIS atque GENEROSISSIMI  
NOMINIS TUI

*cultor devotissimus,*  
PETRUS ENGSTRÖM.



S:Æ R:Æ M:TIS

CUBICULARIO,

EQUITI de Regio Ensisero Ordine Splendidissimo,

GENEROSO atque NOBILISSIMO

**D.N. OLAV. ADLERBERG.**

Regii Collegii Metallici ADSESSORI,

NOBILISSIMO DOMINO,

**D.N. JAC. TERSMEDEN.**

PATRONIS MAXIMIS.

*Quod exercitium hocce Academicum, tenui licet Mi-  
nerva elaboratum, Nobilissimis Nominibus Vestris  
consecrare sustineam, non meæ audaciæ, sed Vestro pror-  
sus singulari favori, adscribendum erit. Vester in li-  
terarum cultores benevolentia omnibus fere est nota:  
mihi vero quam maxime. Si mens mea, summa ab-  
undans veneratione, imbecilli non gauderet interprete,  
Vestras sane, Nobilissimi Domini, celebrarem laudes:  
quoniam vero nulla polleam facundia, eas tacitus præ-  
tereo, atque obtestor, me measque fortunas, in po-  
sterum, Vobis semper commendatas habere baud de-  
dignemini.*

GENEROS. atque NOBILISSIMORUM

NOMINUM VESTRORUM

*cultor humillimus,*

PETRUS ENGSTRÖM.



**BRUKS-PATRONEN** vid Ramnes Bruk,  
Ådle och Högaktade **HERREN**,  
**Herr MAGNUS SCHENSTRÖM**,  
Min Gunstige **GYNNARE**.

**GROSS-HANDELSMANNEN** uti Stockholm,  
**Herr PETER POMP**,  
**KRONO-BEFALNINGSMANNEN**,  
**Herr ZACHARIAS POMP**,  
Mine Högårade **K. MORBRÖDER**.

**D**en högaktning jag ständigt byst för Eder Herr Bruks-Patron, och Mine k. Morbröder uti mitt sinne, kan omöjeligen längre döljas; tillägna derföre Eder dessa blad och beder, at de måtte få uttolka min årkänfambet, emot Eder Gunst och bevågna sinnelag. Vore min förmåga större, sluppen J icke beröm; ehuru jag vet, at Edert ädelmod ej tål det förtientaste. Tillåten mig dock, Herr Bruks-Patron och Mine k. Morbröder, at, när jag på detta papperet afskildrar Grunderna till vår hälsa, äfven få önska Eder mycken lätt dåräf. Lefven så sälle, som min vördnad är och skall vara oföränderlig; då skall Eder hvarken fattas lyckjalighet, eller mig tillfälle, at förtiena namnet af


Ådle och Högaktade Herr **BRUKS-PATRONS**

Så ock

Mine Högårade Käre **MORBRÖDERS**

ödmuke tienare,  
**PETER ENGSTRÖM**.





D. D.

§. I.

**I**nfolens quidem multis videtur, ejusdem ætatis vitæque rationis homines, & quâ vitam & quâ sanitatem, diversa adeo experiri fata atque vicissitudines, ut unus, formæ speciosæ dignitate atque vegetis pollens viribus, in ipso ætatis flore marcescat duræque mortis inclementia inopinato abripiatur; alter vero ad extremam usque senectutem annos perducatur. Mira inquam, hæc sunt: at multo tamen magis a naturæ ordine abluere videtur, corporis robore quam maxime firmatos, prius multo quam infirmos morbis sæpe succumbere, adeo ut saluberrimus quisquam minimo morbi impetu valetudinis jacturam faciat, dum imbellis quidam vel gravissima perferre potest vitæ discrimina, quasi vita ipsa firmiori multo vinculo corpori ejus nexa esset. Hæc, maximis involuta difficultatibus, naturæ phænomena

A

na



na ut explicent, cœca regi fatorum vice unius cujusque ætatem, tempusque vivendi certum unicuique designatum esse, cujus extra circulos vagari nemini licet, quos nec intemperantia turbari, nec rigide servata diæta promoveri posse, erronee admodum credunt quam plurimi. Aliam vero melioremque ingrediuntur viam sapientiores, qui mirandam hanc fanitatis varietatem humani corporis naturæ tribuunt, quæ apud nonnullos firmiore, apud alios debiliore est indole: quæ vero hæc natura sit & unde originem suam ducat, haud considerant. Itaque mecum constitui, paucis allatis observationibus, Naturæ variam circa microcosmum nostrum indolem, quantum per injunctam brevitatem fieri poterit, explicatam Naturæ curiosis tradere.

§ II.

NATURA illa est lex, quam summus omnium Architectus rebus creatis indidit, secundum quam generantur, conservantur atque ad suos fines destinantur in mundo omnia, ut cuncta secundum DEI sapientissime institutam ordinationem in creatione, durent atque existentiam suam continuent. Plura hac in re investigare non valemus, cum ob angustos perspicientiæ nostræ limites, tum ob abdita naturæ mysteria, etsi quædam vestigia ordinis, creaturis insiti, videre nobis videamur, quæ tamen æque nobis sunt imperscrutabilia, ac ille, quem DEUS secutus est, omnes res condendi, modus.

§ III.

Humanum corpus mirifica omnino gaudet structura



Stura atque ex variis fibris compositione, quæ con-  
 nexæ quasi & confutæ membranas, canales, muscu-  
 los, &c., quibus coagmentata est nostra machina,  
 formant, elementa vero non æque fortiter in singulis  
 combinata esse, quilibet, qui accuratius Naturam  
 pensitat, inveniet. Mentem nostram clarius hac in  
 re ut exponamus; humanam machinam cum Textu-  
 ra comparabimus, quam lanificas Parcas vel firmiori-  
 bus vel tenuioribus contexisse filis fabulatur antiqui-  
 tas, quamque cum annis tandem conteri videmus.  
 Eadem est ratio corporis humani, quod, dissimili-  
 bus compactum filis, haud pari modo diuturnum  
 violentumque usum perpeti potest. Ulterius corpus  
 nostrum haud incongrue assimilatur telæ, duplici fi-  
 lorum genere compositæ, nervis nimirum, qui i-  
 psam texturæ stamen constituunt, & fibris, quæ in-  
 tertextum, inter stamina implicatum, efficiunt; hoc  
 si fuerit firmissimum, illud vero tenue, haud longo  
 usu subteritur tela. Corporis humani nervi sunt i-  
 ipsa virium stamina; fibræ autem stamina vitæ consti-  
 tuunt. Viribus exhaustus & languidus eam ob caus-  
 sam ætatem diu prorogare potest, quod ejus systema  
 Nervosum bene sit constitutum; at ideo tamen mu-  
 sculorum roboris atque soliditatis expers est quam sæ-  
 pissime: contra, qui compacto fibrarum systemate  
 gaudet, virium vitalium defectu laborare atque, le-  
 vi quadam morbi motiuncula tentatus, haud raro  
 opprimi atque consumi potest. Hujus rei causam  
 qui invenire vult, primum texturæ corporis funda-  
 mentum atque compositionem adeat, cujus initium



in generatione reperitur, finis vero in adolescentia. Perdifficilis enim quæstio Physiologos adhuc torquet, an plures fibræ in adulto generentur, quam quæ in embryone sunt. Crescunt quidem justumque temporis spatium requirunt, ut longitudinem suam, & forte crassitudinem, consequantur; &, licet homo, postquam ad debitam staturæ proceritatem excrevit, crassecat, opinamur tamen fibrarum interstitia potius repleri, quam eas incrementa quodam modo capere. Eum itaque jure meritoque felicem & vere nobilem appellamus, qui integer natus est, quapropter cum nos tum etiam Germani nobilem per **wälboren** & **wohlgeburen** explicamus.

Duo *fundamenta* vitæ & ruboris unius cujusque hominis ponimus: unum in ipsa generatione, alterum in adolescentia. In *generatione* imprimis systema nervosum, sub *adolescentia* systema fibrosum constituitur, quæ duo diversam heic postulant considerationem.

§. IV.

In ipso matris ovo prima vitæ stamina delitescunt, quæ per **GENERATIONEM**, inæquali vero vi, suscitantur. Observavit quondam Bradlæus, dum polline staminum floris Quercini fortiter aspergebat fecundabatque ejusdem arboris pistilla, glandes post hac non modo majores aliis ejusdem arboris fieri, sed & satas multo & solito largius crescere. Natura, quum unum eundemque Auctorem atque Fundatorem agnoscat, sui semper similis est; ejus intuentes varias vias, ad unam tendere veritatem omnes, comperimus. Infantes  
aut



aut senectute languidis aut morbo debilitatis procreati parentibus, infirmi imbellesque evadunt plerumque. Summus *Boerhavius* signa futura optimæ fanitatis in *institutionsibus suis Medicis* §. 885 tradens, palmariam hujus causam ipsi generationi rectissime adscribit: *Conceptus, inquit, ex parentibus Sanis, Vegetis, Plenæ ætatis, Rara, sed Fervida venere utentibus, matutino tempore post perfectam a somno coctionem, tempestate vernâ, imprimis & salubri.* Illi, quibus a genitoribus sanis & ætatis maturo flore vegetoque robore nasci, contigerit, robustissimi evasere: sic *fortes a fortibus procreantur.* Hanc sententiam exemplo firmat *Nob. Hallerus in Comment. ad § supra citatam Boerhavi, Tom. 6. pag. 267: In Gallia, ait, homines ex furtiva venere geniti (en fans d' amour) vulgo robustiores habentur, præ illis, qui ex officio nati sunt; cum venus perpetuo quaesita, sed raro inventa, fervidior sit.* Natura ipsa, ut se conservet, anxie laborans, perspicua hujus rei nobis monstrat vestigia. Ad œconomiam animalium si attendimus, apparet, causam illius dissimilitudinis, quam inter eorum fœtus esse deprehendimus, in genitorum indole totam fere latere. Hinc *Horatius: Est in juvencis, est in equis patrum virtus: nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam.* Vulgo optime notum est, non adeo vegetos grandesque fœtus a non adultis jumentis & pecudibus progigni, ac ab illis, quæ justam ætatem viriumque firmitudinem consecutæ fuere; hinc vidimus, vitulos agnellosque, quos matres graciliores & primiparæ pariunt, debiliores fieri, ideoque, ut minus vitales, segregantur & ma-

stantur



stantur ab œconomis. In unaquaque fere regione populi globum atque multitudinem constituunt ruricolæ, quique terram variis modis colunt. Hi, dum uxorem ducunt, suum sequuntur genium, nec opes anxie quærunt, nec multis procis petitam Helenam, non nobiles atavorum imagines, sed maturam robustamque quandam virginem sibi poscunt, quæ, labori adiveta, desideratam illis opem ferre potest. Opulentiorum vero molles atque delicatulæ filia, licet morbis fere consumptæ a luxuriosa ambiuntur procorum, valetudinariorum forte, turba, milleque amantum suspiriis præcibusque expetuntur. Illi foetus corporis firmitate cæteros præstant, qui genitura nascuntur consistente nec debili, quæ sæpissime absorbetur atque secernitur; unde fervens igneaque venus redditur. Contra adolescens, libidinosa juventute & pollutionibus siphyliticis enervis, amissam genituræ vim vix recuperat, & jugali tandem thalamo iunctus, intemperantius assidueque cultæ veneris pœnas dat, liberique ejus *miseri pulli fiunt infelicibus nati ovis*. Hanc ob rem haud infrequenter evenit, ut opulentiorum familiis fatale adeo exitium immineat, ut penitus interdum extirpentur. Medici Angli, infantes *Rachiticos*, a parentibus, nimia venere exhaustis nasci, existimant. Id tam verum est, quam quod verissimum, multos morbos, per generationem propagatos hæreditarios fieri: Ut.

*Qui viret in foliis, venit e radicibus humor;*

*Sic patrum in natos abeunt cum semine morbi.*

Observat quoque Hoffmannus, a *Maniacis*, ipso  
sub



sub paroxysmo procreatos liberos, maniacos quoque fieri, non vero extra paroxysmum; & pariter epilepticorum filios vel nepotes, mox ab insultu paroxysmi conceptos, horrendo isto morbo immunes nasci, non autem paulo ante eundem. Virum quendam novimus a Colica sæpissime vexatum, cujus paroxysmus cum uxoris consuetudine mitigabatur; duo vero ejus liberi, colicis torminibus afflicti, diem obierunt supremum. Alius quidam nobis succurrit, a matre natus diuturno dentium vexata dolore, cujus prognati nepotesque præmatura odontalgia conflictabantur. *Hæctica, Arthritis, Calculus* a parentibus in liberos trasmittuntur: nam.

*Multa pater materque valent infundere natis,*

*Transit & in seri jura nepotis avus.*

Et quum summus rerum Conditor, homines hilares esse voluerit, lætam jucundamque illis venerem indidit, non vero ira ferventem, ut feris quibusdam immanissimis. Verbo: universa natura eo in puncto conspirat, quod illi foetus, qui maturo & fervente veneris usu generantur, cum vitæ viribus tum etiam generositate præcellentes fieri; quare equorum præfecti equos admillarios includunt, ne nimia venere exhausti reddantur, ut postea admissi, valentiorem edant progeniem. De antiquis Germanis, qui fortitudine ceteras gentes præeminebant, refert Tacitus, eos *seva & matura usos fuisse venere*. Lex Ceremonialis, præter nobiliorem, quem habebat finem, in Natura quoque ipsa fundata erat, ut ex præceptis illis diæticis, quæ in ea continentur patet, & ex primogeni-



anogenitorum prærogativis. Itaque prima stabilimenta vitæ humanæ ipsa in generatione conduntur.

§. V.

Secundum roboris fundamentum in ADOLESCENTIA ponitur. Primum vitæ humanæ stadium in UTERO est, ubi embryones secundum matris diætam formantur, Si mater *cibo* utatur saginante nimium crescit fœtus; gravida, quæ lacte vescitur, grandem adeo sæpe infantem gestat, ut maximo cum vitæ periculo eum eniti possit; quam ob causam Medici mulieres hortantur, ut sub gravitatis statu a nutrimentis ex lacte confectis sese abstineant, contra vero si amaris, austeris ac fortibus deditæ sunt potionibus, vel si morbo quodam sunt implicatæ, infantes imbecilles atque graciles pariunt. Uterum ferens femina, quæ diuturno justoque corporis *motu* utitur, robore longe valentiores edit gnatos, quam quæ vita delectatur sedentaria; unde etiam accidit, ut liberi Nobilium debiliores plerumque sint. Lappones, immanes barbaræque Americanæ Nationes uxoribus suis svadent, ut leni semper ac crebro tamen labore futurum partum faciliorem reddant. Nimius Matris *somnus* magnos mollesque, exiguus vero parvos ac macilentos infantes efficit. Embryonem matris sub graviditate *venere* debilitari, plerosque abortus hinc originem trahere, haud incerto nixi fundamento, credimus. Eo tempore, quo fœtus utero fovent animalia, nunquam marem admittunt: Si vero hoc fieret, abortum plerumque faciunt, cujus



cujus rei Equæ exemplum præbent. *Matris animi commotiones* fœtibus multa damna adferunt, utpote epilepsiam, distortiones, & infantes adhuc non editos necant, qua de re Medicorum observationes multa nobis referunt.

§. VI.

Alterum stadium, in quo adolescit homo; est **LACTANTIA**, seu tempus quo genetricis ubera natus fugit. Valetudo enixi fœtus tum quoque a matris diætâ pendet. Infans, qui lacte vescitur materno, eodem ex fonte bibit, qui alimentum in utero delitescenti large subministravit. Novercantium nutricum & *animi* & corporis qualitates cum lacte ipso ita parvulis infunduntur, ut, si hæ hilares & animosæ sint, illi læti vigoreque præditi evadant: si vero hæ tristiori & in iram proclivo animo sint, illi eandem quoque mentem consequantur. *Iracundarum* nutricum bilis si forte commoveatur, convulsiones non raro sentiunt lactantes: si *vini combusti* justo plus appetentiores fuerint ubera præbentes, infans aut macie contabescit aut moritur: si *salsum* comedant cibum, scorbuto inficitur: qui prius infantis dentes consumit, quam radices egerint. Si mater vitæ *sedentariæ* dedita sit, acido spontaneo in primis viis cum fœcibus viridibus, torminibus, convulsionibus infestatur recens natus. Cum genetrix intempestivam *Venerem* colit, lac mutationem subit, & infans inde multum capit detrimenti. Ex his omnibus apparet, prolis valetudini maxime conducere, ut mater temperantiam in vivendi ratione accurate servet.



§. VII.  
**PUERITIA** tertium stadium constituit. Tum maxime opus est, ut bene nutriatur puer. Intestina eius adeo sunt tenera, ut magnam cibi copiam, una vice deglutitam, non queant concoquere; poscunt tamen crebra nutrimenta. Homo hac in ætate constitutus, pulli est instar gallinacei, qui, postquam comedit, iterum mox cibum appetit. Hoc tempore si premuntur fame, lente admodum crescunt: aciora ciborum genera illis sunt deneganda, quum fibræ debiles tum maxime sint. Si acris quædam tinctura vulneri oris, tempore sub sanationis, instillatur, tenella fibrarum stamina contrahuntur, quo fit, ut vulnus, magna cicatrice, obducatur. Illi, quibus potus vini combusti intempestive conceditur, pusilli fiunt atque maelenti. Hoc experimento, cum canaliculis instituto, satis probatur, qui si hoc liquore oblinantur, adeo parvi fiunt, ut in feminarum gremiis commode gestari possint. Mauros olim graciles, Gallos vero proceros fuisse, testantur Historici: jam quum illis Mahometana religio vini usum interdixerit, illic vero sit concessus, Mauri Gallos, conspicua statura, multum superant. Porro puerulo, sub dio obambulandi, currendique venia non denegetur; alias enim accidit, ut colli glandulæ intumescant, caput totumque corpus Scabie infestetur; huic si licitum non sit, ut calido frigidoque aëre se advescat, tempestatis vicissitudines haud patitur, & febribus & morbis catarrhalibus facile sit obnoxius. Quum *motu*, teste Avicenna, *membrum* magnificat, haud difficile inveniri potest causa,



causa, cur liberi rusticorum valentioribus polleant membris, quam Nobilium opulentiorumque. Hæc a corporis crebra exercitatione tota fere dependet, quapropter ita Hoffmannus: *populi, inquit, septentrionales, qui a teneris annis frigoris & caloris repentinæ mutationes sustinere coacti, minus in morbos prelabuntur, & facilius ex iis convalescunt.* Somnus, puerulis ad vires recreandas, sufficiens esse omnino debet, etenim pastu acquisita, atque corporis exercitatione digesta, alimenta, machinæ nostræ per somnum applicantur. Quum satis constet fœtum in materno utero semper dormientem brevî mirum in modum crescere, infantemque mox post lactationem sopore naturaliter capi, puero quoque somnus & quies concedatur, necesse est; si autem aliter fiat, staturæ ejus incrementum impeditur, & macilentus, debilis redditur atque stupidus. Subito admodum animi puerulorum commoventur, quum nervia fibris adhuc justum non consequuti sunt robur atque fulcrimentum; & quemadmodum eorum lætitia haud modica est, dolor quoque & luctus est acerbior. Si acciderit, ut subitaneus illis terror incutiatur, sæpissime ex vehementi hæc animi perturbatione Polypina nascuntur, qui ex eorum demum extispiciis manifesti fiunt. Difficilioribus rebus, quæ eorum nervos justo maturius intendunt, si crucientur, ingenium judiciumque præcox, ac tandem stupidum, evadit. Itaque illis, qui in tenero ætatis flore sunt, debitum a curis gravioribusque sollicitudinibus otium dandum est.



§. VIII.

ADOLESCENTIA est vitæ stadium, in quo homo pueritiæ larvam exuit, telamque corporis sui pertexit. Jam fugienda est præcox *venus*, quæ & nervosum systema & fibrosum debilitat; inde enim artuum tremor, anorexia, oculi debiles, vertigo, stupiditas. Jam maxime interest in vasis conservare olea, quæ senectutem sanam vegetamque reddunt: *libidiosa enim & intemperans adolescentia effæctum corpus tradit senectuti. Cic. de senect. c. 9. Et quamdiu serva venas veteribus Germanis, tamdiu eorum juvenus fuit inexhausta, teste Tacito.* Et quando eufarcos monachos in summo senio hilariter quasi florescentes interrogamus, quibus potissimum remediis factum fuerit, ut sanitatem in seros annos conservarint, servavimus oleum, respondent. Adolescentiæ flos semel amissus, nunquam redditur artis ope; formosaque species, animi corporisque vigor, ex quo ingenii judicii que vires pendent, perit.

§. IX.

Est hoc tempus, quo *Helluationes* vecordes & licentiosos homines *omnes* delectant, quo compotationibus in seras usque noctes dediti sunt quam maxime, quo intemperantiæ se aliquando affectum iri pœnis vix credunt; erit tamen infaustus dies, quo hæc, in corpus injuriæ, atque violentiæ, Naturæ coram tribunal vocabuntur, gravique plectentur damno. Itaque maxima danda est opera, ut calidioribus spirituosisque potibus, adolescenti imprimis ætate, abstinemus. Non opus est, ut oleum igni addamus. Jam adolescens & labori & otio est assuefaciendus: jam animi corpo-



corporisque artes exerceat, iustaque illi concedatur  
 quies: jam in salubri versetur aëre ac habitaculis non  
 nimium angustis: jam jucunda, lætis cum amicis, frua-  
 tur consuetudine, quo fiet, ut iners cibus, sine arte  
 mensa, tenuis potus, tranquillus somnus, motus  
 interruptus, castitas & familiarium grata conversatio,  
 ætate stabiliendi roboris ultima ponant fundamenta.  
 Et postquam, hanc sequens vivendi rationem feli-  
 citer adolevit, quid firmatum ejus iudicium valet,  
 demum experiatur, ingeniique sui, quantum fieri po-  
 test, intendat nervos: & acquisita corporis iusta sta-  
 tura, majora nobilioraque animi meditata sedu-  
 lo sectetur noster adolescens: aut tum, aut nunquam.

§. X.

Diæta, sic firmis nixa experimentis, ad duo va-  
 letudinis ducit principia, quorum prius nervis, Vi-  
 tales, posterius, solidis cum fluidis, Naturales effi-  
 cientibus functiones, continetur. Hæ per diætam  
 sustentantur functiones: quarum Vitales ægre corri-  
 guntur; facile vero, vita nimia, vigiliis, animi pas-  
 sionibus, lucubrationibus, computationibus spiri-  
 tuosis, debilitantur. Naturales, ut motu & alimen-  
 to corroborantur, ita quiete labefactantur & inedia. Hæ  
 ut sartæ, apud nobiliora animalia, servantur atque in-  
 tegræ, duos custodes, odorem nimirum &  
 saporem, præsertim circa ingerenda,  
 Natura posuit.

S. D. G.





## Min HERRE.

**K**roppens hälsa är ett ibland det nyttigaste och nödigaste en Menniskia kan äga. Låran om dess rätta skiötsel, förvärfvas ej utan årfarenhet uti läkarekonsten. I, Min HERRE, gifven nu fram i dagsliuset Grunderna till Hälstan och visen härmed, det I på rätta grundpelare hafven bygd det vett, som pryder Eder, och hvarigenom I liksom viljen förbinda andra, at följa, hvad I här omordat. Min HERRE tron icke, det Ederre Vänner på något sätt misunna allmenheten kundskap om Ederre Egenskaper, hvilken varit hittills ett enskildt nöje för dem; utan varen försäkrad der om, att vi fågna oss öfver en så stor Eder skickelighet, som vi och kunna giöra oss såkert hopp om Eder hjälp i framtiden. Min glädje at förnimma Eder välgång skall alltid fördubblas så mycket mera, som jag länge haft den förmon at räknas ibland Eder förtrognaste. Vore allenast min förmågo större, än min välmening, blefve inga tillfällen nog tillräckelige at å daga lägga med hvad vänskap jag lefver

## Min HERRES

Tilgifne Tjenare,  
JOHAN DANIEL MENLÖS.